

# PRÆFATIO.

ras mordaces animo expelli, commendari autem  
Mentem sua sorte contentam, in DEO tranquil-  
lam, atque in ipsis vitæ molestiis aut laboribus de-  
vorandis serenam;

Hæc erant, quæ pro re præsenti monen-  
da erant. Precor DEUM T. O. M. ut ipsam Doctri-  
nam cœlestem ex limpidis Scripturæ fontibus hauri-  
endam, non autem ex hujus illiusve delirantis at-  
que ineptientis, sibique in deliriis suis atque ine-  
ptiis, applaudentibus bardis omnibus, iisque, qui  
fatuos sectantur ignes, mirifice applaudentis, ce-  
rebro enatam, in diebus nostris finat triumphare,  
utque ea nobis, illucescere faciat, dudum a Sanctis  
verbi Prophetici scrutatoribus desiderata tempora,  
de quibus credibile est Danielis cecinisse oraculum,  
**PERCURRENT MULTI, ET AUGEBI-  
TUR COGNITIO!**

Ita scribebam Groningæ, ipsis Idibus  
Novembris. CLO IOCC XL.

DANIEL GERDES.